



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus XVIII. Qui Matrimonium accusare possint, & contra illud testificari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62672)

Et Gonzalez n. 23. quod legitimatio per dispensationem in radice matrimonii, non tam in abolitione impedimenti, ut matrimonium ineatur, quam in legis Ecclesiasticae, quoad vim irritandi matrimonium & prolem illegitimam reddendi, revocatione consistat.

Neque obstat supra memorati Gregorii Papae responsum; quia de eo non satis constat: & si constaret, accipiendum esset de impotentia, ex causae ad dispensationem sufficientis potius, quam ex jurisdictionis defectu proveniente, Palao cit. §. 5. n. 9. & Barbosa voto cit. n. 31.

71. Non magis urget ratio; quia sic Papa non facit, ut matrimonium re ipsa non fuerit nulliter contractum: sed dispensando in radice nullitatis matrimonii, scilicet lege Ecclesiastica, revocat & tollit omnia damna ex Jure Ecclesiastico profecta, & prolem restituit in statum, in quo fuisset, si contracti matrimonii tempore lex Ecclesiastica matrimonium irritans non fuisset, Gonzalez in c. cit. n. 22. in fine. Neque hinc sequitur, ad temporalia legitimari à Papa posse prolem natam ex simplici fornicatione; quia istius ad illa inhabilitas principaliter oritur ex Jure Civili, quod relaxare Papa

regulariter non potest, Palao l. cit. n. 8.

Hanc tamen in radice matrimonii nulliter contracti dispensandi & prolem legitimandi potestatem Papa exercere vix unquam solet in praedictum tertii, v.g. liberorum legitime natorum, quibus aliam hereditas obveniret adeo; ut rescriptum legitimatio ad successionem bonorum subreptitium reputetur, si eò non exprimat, patrem habere alios liberos, quorum portio per legitimatioem diminuat, Molina cit. disp. 173. n. 21. & Laiman. Lib. 1. Tract. 4. cap. 23. n. 19.

Eòdem rescripto & pro ejus impetratione oblata supplicatione exprimendum est Primò, an legitimandus sit naturalis vel spurius: an ex incestu, sacrilegio, adulterio, eoque simplici vel geminato: ex incestu cum sorore, filia, nuru &c. ex sacrilego concubitu sacerdotis vel Religiosi, cum conjugata vel Moniali sit susceptus, cit. Panormit. n. 27. & Molina n. 28. Secundo, an filius naturalis, cujus legitimatio petitur, sine dedecore patris legitimari non valeat per subsequens matrimonium parentum, juxta Novell. 74. cap. 4. Azor p. 2. Instituit. Lib. 2. cap. 14. q. 8. & 9. & Palao cit. p. 1. §. 7. n. 1.

72.

73.



TITULUS XVIII.

Qui Matrimonium accusare possint, & contra illud testificari.

SUMMARIUM.

1. Arduitas accusationis matrimonialis.

2. De matrimonio;

3. Et de sponsalibus iudex Ecclesiasticus cognoscit, X x 3

4. Ss

4. Si causa matrimonialis propriè :
5. Non, si talis impropiè sit :
6. Nisi in iudicium veniat incidenter.
7. Propriè dictæ cognitio competit Episcopo,
8. Sede vacante, Capitulo,
9. Istiusque & Episcopi Vicario generali:
10. Et speciali jure aliquando inferioribus.
11. Ad matrimonii contractum impediendum quivis :
12. Ad divortium & conjugii dissolutionem ex impotentia,
13. Erroris ac metus impedimenti solus conjux :
14. Ex propinquitatis &c. parentes, cognati &c.
15. Ex aliis causis alii agere possunt.
16. Quidam tanquam suspecti specialiter non admittuntur.
17. Testes in causa matrimoniali aliquando sunt parentes.
18. Et impedimenti denunciator :
19. Non etiam accusator & pecuniâ conductus.

1. **S**atis frequentes sunt conjugum & ipsorum conjugiorum Accusationes, spectantes illorum divortia aut ipsorum dissolutiones. Quæ, cum ob præjudicii ex his timendi magnitudinem autoritate publica & circumspetione maxima pertractandæ sint, neque ad accusationes, neque ad perhibendum in iis testimonium indiscriminatum omnes semper admittuntur. Quinam autem jure admittendi, & in quo etiam Foro ejusmodi causæ discutendæ sint, præsentis Rubricæ & huic subjectorum textuum explanatio planum reddet.

2. Et causarum quidem Matrimonialium cognitionem definitionemque ad forum & iudices Ecclesiasticos pertinere, Regula est, Catholicorum DD. qui ea

de re scripserunt, omnium unanimi calculo approbata, Urbis & Orbis Christiani totius generali consuetudine recepta, decisione c. Tuam 3. de Ord. Cognit. c. Lator 5. c. Causam 7. Qui filii legit. & S. Synodi Tridentinæ PP. definitione stabilita Sess. 24. cujus de Sacramento matrimonii Canon. XII, est, Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices Ecclesiasticos, Anathema sit. Ratio clara est; quia matrimonium est res spiritualis; cum sit unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis, à Christo Domino institutis, ut à memoratæ S. Synodi PP. eadem Sess. can. 1. est definitum: de rebus autem & jurebus spiritualibus in iudicium deductas controversias pertractare, non Secularis, sed Ecclesiasticæ est potestatis, c. Decernimus 2. c. Quanto 3. de Judiciis & c. Si iudex 12. ibi. Ad iudicem Ecclesiasticum (quia de re Ecclesiastica & spirituali est) cognitio pertinebit, de Sent. excommunicat. in 6.

Eadem ferè ratio est causarum & questionum super sponsalibus ortarum, arg. l. Oratio 16. ff. de Sponsal. quia sunt mentio & repromissio, l. 1. ff. de Sponsal. sive mutua promissio futurarum nuptiarum, can. Nostrates, 30. q. 5. eamque ob causam, quæ super sponsalibus de futuro moventur, matrimonialibus causis accensentur; cum tangerent matrimonium: quod quoquò modò tangentium causarum idem, quod ipsius, iudicium est, arg. c. Translato 3. de Constitut. & Clement. Dispendiosam 2. de Judiciis, ubi Glossa V. Matrimonii, Anchoran. n. 5. Zabarella n. 30. & Felician. Oliva de Foro Eccles. p. 3. q. 37. n. 3.

Nomine autem causarum Matrimonialium propriè veniunt, quibus controversia & quæstio est de matrimonii & sponsalium natura, qualitatibus, contractu

tractu & benedictionibus nuptialibus: de conjugum & sponforum ex matrimoniali vel sponsalio contractu ortis juribus & obligationibus: de sponsalium & matrimonii valore, & ex isto orta prolium legitimitate: de ipsorum impedimentis, in his dispensationibus, ortaque ex iisdem sponsalium vel matrimonii nullitate ac dissolutione: de divortio, istiusque modis, causisque & de matrimonii redintegratione &c. De quibus, iisque similibus causis, sicut condere leges, sic etiam ortas controversias definire, Ecclesiastica est potestatis, per *cc. cit.*

5. Non etiam, quibus de dote & propter nuptias donatione, de hereditaria successione, alimentis & similibus agitur; super his enim motas quaestiones; cum de re temporali & politica sint, ad forum & iudices Seculares pertinere, ex communi DD. sensu docent Bellarminus *Lib. 1. de Matrim. cap. 32.* & Tannerus *Lib. 1. de Matrim. cap. 32.* & Tannerus *Tom. 4. disp. 8. n. 166.* Nisi in propria dictam vg. de matrimonii, propter detectum impedimentum dirimens, dissolutione, vel divortio propter adulterium motam, & principaliter in iudicio deductam matrimonialem causam incidant; hoc enim casu, iudicem Ecclesiasticum, sicut de matrimoniali principaliter mota, sic etiam de dotis, alimentorum &c. causis, in illam incidentibus cognoscere ac pronuntiare de Jure posse, patet ex *c. 1. Qui filii legit. c. De prudentia 3. & c. Per vestras 7. de Donat. inter vir. & uxor.*

7. Quantumvis autem de matrimonio- rum impedimentis, ex his orta illorum nullitate, caeterisque causis matrimonialibus proprie dictis cognoscere & pronuntiare solius, non tamen cujuscunque iudicis Ecclesiastici est: sed, Jure saltem communi spectato pertinet ad Episcopos, *c. Accedentibus 12. de Excess. Pralat. &*

S. Synodi Trident. *Sess. 24. cap. 20. V. Adbac cause, de Reformat.* aliosque Praelatos, Episcopis non subjectos, & jurisdictionem quasi Episcopalem in certo territorio & in ejus populum exercentes, Riccius *Decis. Curiae Neapol. p. 4. decis. 184.* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 84. n. 3.* & sede vacante, ad Capitulum, juxta *c. Veniens 7. juncta inscriptione, de Eo, qui duxit in matrim.* quia, illa vacante, jurisdictione Episcopi Ordinaria ad istud transit, *c. His que 11. & c. Cum olim 14. de Majorit. & Obed. Pavinus de Offic. & Pores. Capit. &c. p. 1. q. 10. n. 8. Covarruvias de Sponsal. p. 2. cap. 8. §. 12. n. 1. Diana p. 8. Tract. 4. Resol. 22. & Barbosa alleg. cit. n. 4.* Earundem cau- 8. sarum cognitionem etiam Capituli, vacante, & plena sede, Episcopi Vicario in spiritualibus generali, etiam sine speciali mandato, competere, ex communi & veriori sententia dictum est *Lib. 1. Tit. 28. n. 45.* & patet ex *c. fin. de Cognat. spirituali & c. 1. de Frigid. & malef.*

Ex commissione vel privilegio alicubi, praesertim in amplioribus dioecesebus, de 9. ejusmodi causis in prima instantia cognoscit Officialis minus principalis, & principali sive Vicario Episcopi generali subordinatus, Archidiaconi & Vicarii foranei, quos Commissarios vocant: & ex alio speciali jure vg. ex consuetudine legitime praescripta etiam Praelati alii, se- 10. cundum Glossam *fin. in c. Accedentibus cit.* Ratio est; quia generaliter ea, quae non Ordinis, sed jurisdictionis Episcopalis sunt, ut est talium causarum pertractatio, ab inferioribus Praelatis acquiri possunt, sicut privilegio, sic etiam consuetudine legitime praescripta, ut *in c. cit.* notant Ant. de Butrio *n. 2. Panormit. n. 3. & Fagnanus n. 3.*

Hodie tamen ad ejusmodi causarum cognitionem in Archidiaconis, Decanis &c. non

&c. non sufficit quadragenaria, ut quondam, *c. Auditis* 15. *de Præscript.* sed omnino necessaria est consuetudo vel potius præscriptio tanti temporis, cujus initii memoria non existit: quod à Congreg. Cardd. Concilii Trident. Interpp. declaratum, testes sunt Barbosa *in cap. 20. cit. n. 85.* & Fagnanus *in c. cit. n. 6.*

II. A Foro seu iudice progredimur ad ipsam conjugum & conjugiorum Accusationem: quæ, juxta dicta, ob arduitatē suam non semper omnibus, aut iisdem est permissa. Quibus autem & quando ea Jure competat, ut planius constet, præ oculis habendus est finis, quem illa spectat.

Et imprimis quidem, si ea ad matrimonii nondum initi contractum inter aliquos, propter intercedens inter eos impedimentum, præsertim dirimens, impediendum tendat, ad accusationem vel potius denuntiationem impedimenti de populo generaliter omnes, qui ejus notitiam habent & de malitiosa denuntiatione suspecti non sunt, admitti: imò, si id probare valeant, ad illius manifestationem graviter obligari, ostensum est *Tit. 3. n. 14.*

12. Deinde, si agatur ad matrimonii legitime jam contracti divortium, sive separationem conjugum quoad cohabitationem & thorum, ob alterius adulterium, sævitiam &c. ad agendum sive alterum accusandum solum conjugem innocentem admittunt *ad hanc Rubricam* Innocentius, Panormit. *n. 15.* & Canisius *n. 2.* & alii, id desumentes ex *c. Tua* 5. *de Procurat. c. Quemadmodum* 25. §. *Illud, de Jurejurando* & *c. Maritis* 4. *de Adult. & Supr.* Rationem reddunt; quòd divertendi jus principaliter ipsius favore sit introductum; atque idcirco injuriam sibi illatam conjugi saltem poenitenti remittere valeat, *c. Si vir* 3. junctâ

Glosâ *V. Debet, Rubr. cit. & can. Quod autem* 32. q. 1. Navarrus *Manual. cap. 22. n. 22. in fine & cit.* Sanchez *Lib. 10. de Matrim. disp. 13. n. 3.* Aliud esset, si reus non ad divortium, sed ad Canonicam vel Legalem adulterii poenam infligendam accusaretur; tali enim casu ad adulterum ejus criminis accusandum; quòd crimen sit publicum, *c. Tua cit. §. Item lex Julia* 4. *Instit. de Publ. jud. quilibet, dummodo mas & viginti quinque annis major sit, admitteretur, l. Palam* 43. §. 10. ff. *de Ritu nups. l. Si maritus* 15. §. 6. ff. *l. 1. C. ad L. Jul. de Adult.* Honorius *ad hanc Rubric. n. 13.* & Harprecht *in §. Item lex Julia cit. n. 38.*

Demum, si ad matrimonii omnimodam dissolutionem ex impedimento dirimente agatur, opus est alterâ distinctione inter impedimenta. Primò enim, si id sit impotentia ex alterius conjugis frigidityte, aratione &c. proveniens, ad matrimonii accusationem iterum soli conjuges admittuntur; quòd matrimonii dissolutio, quam ejusmodi accusatio spectat, ejus ferè solius intersit: & conjugum, si velit, impotenti cohabitare, saltem ut frater sorori possit, *can. Requisisti, 33. q. 1. c. Consultationi* 4. & *c. Laudabilem* 5. *V. Quodsi ambo, de Frigid. & malef.* Canisius *in Rubric. n. 2.* Secundò, si impedimentum, ex quo ad matrimonii, tanquam invalidè contracti, dissolutionem agitur, sit error circa individuum personæ aut ejus conditionem, vel metus, accusationem ipsis tantum conjugibus permissam, volunt *cit.* Canisius *n. 2.* Honorius *n. 8.* & Gonzalez *in c. fin. n. 3.* quòd, errore metive cessante, actioni suæ renunciare, & in matrimonium consentire denuo valeant, *can. Si quis ingenuus, 29. q. 2. c. Proposuit* 2. *c. fin. de Conjug. serv. & c. Insuper* 4. *lib. 14.* Tertio, si impedimentum sit consanguiniq̄s,

nitatis, affinitas orta ex copula conjugali, aut publica honestas, primò omnium admittuntur parentes, & his deficientibus frater, soror & alii consanguinei propinquiore, *c. Videtur 3. hâc Rubr. can. 1. & can. Notificamus, 35. q. 6.* Ratio est; quia genealogiam, sive consanguinitatis &, quæ secundum istius gradus metimur, affinitatis ac publicæ honestatis impedimenta præ aliis parentes & post hos propinquiore consanguinei scire solent ac possunt. Post hos demum etiam bonæ famæ, antiquiores & veraciores extranei admittuntur, præsertim è vicinia, utpote quibus ejusmodi propinquitas magis est nota, *citt. can. 1. & c. Notificamus*, Panormit. *ad hanc Rubric. & Canisius l. cit.* Quartò, si agatur ex alio quodam impedimento, non conjuges tantum sed alii etiam veraces & non suspectæ fidei, qui impedimenti notitiam habent, & ab accusatione aliàs non repelluntur, admitti possunt, præsertim si eorum interfit, ut colligitur ex *c. 1. de Test. qua vi metusve causâ*, ubi matrimonium tanquam irritum propter impedimentum professionis Religiosæ impugnarunt Monasterii Priorissa & sorores.

16. Dixi, *Fidei non suspecta*: quales non censentur, atque idcirco tanquam suspecti à conjugii accusatione repelluntur Primò, qui id turpis quæstus causa accusant sive, qui pecuniâ ad accusandum inducuntur, eamque exigunt; ut ab accusatione desistant, *c. Significante 5.* quòd falsò & malitiosè accusare præsumantur, *can. Prohibentur 14. pr. V. Alii propter turpem 2. q. 1. & l. Qui accusare 8. ff. de Accusat.* Glossa in *c. Significante cit. V. Eòdem*, ubi Panormit. *n. 4.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 4.* Secundò, qui cum proclamationes sive matrimonii denuntiationes publicæ fierent. impedi-

mentum non manifestarunt; quòd, ejus manifestationem in tempus matrimonii jam contracti differendò, calumniosè accusare præsumantur: nisi denuntiationes ob absentiam, infirmitatem vel aliam justam causam ignorassent, vel in impedimenti, eò tempore ignorati, notitiam postea primùm se pervenisse, fidem facerent propriò juramentò; hòc enim præstitò, calumniosæ accusationis præsumptio cessaret saltem, si impedimentum per testes aut aliò modò verisimiliter probari posset, Barbosa *in c. cit. n. 8.* Tertiò, ea, quæ matrimonium ab initio quidem invita & gravi metu coacta contraxit; postea tamen carnalem copulam sponte admisit, *c. Insuper 4. ubi Barbosa n. 3. & Gonzalez cit. n. 3.* quia per talem copulam matrimonium ratificatur, de Jure antiquo, *c. Is, qui fidem 30. de Sponsal. & matrim.* An etiam & quomodo Jure novissimo Tridentini *Tit. 3. à n. 33.* est explicatum. Quartò, qui id non personaliter præsentis, sed absentes per literas duntaxat accusant, *can. Per scripta 2. q. 8. & c. Nobis 2. hâc Rubr.* quòd, si hoc accusatoribus liceret (expeditiores forent calumniosæ delationes; quæ, ut à judicio matrimoniali facilibus excluderentur, accusationes) licet earum libellum offerri, aut saltem à Notario exceptas in scriptis redigi, conveniat) ab absentibus per solas literas fieri, summi Pontifices Stephanus & Clemens III. *can. & c. citt. generaliter* veterunt.

Testes adversus matrimonium in Ecclesiæ facie contractum præ aliis admittuntur, qui impedimenti, illi ab accusatore objecti, notitiam habere certiorum, & fidei non suspectæ esse, præsumuntur, *c. Licet 47. de Test. & attest.* cujusmodi, licet pater in aliis filii causis fere non esse, *can. Si testes 2. ibi, Testis idoneus pater filio & filius patri non est, 4. Y y. 9. 3. &*

17.

q. 3. & l. Testes 9. ff. de Testibus, esse tamen ipse & ceteri consanguinei præ aliis censentur in causis matrimonialibus, saltem iis, quibus agitur de matrimonio, propter consanguinitatis, affinitatis vel publicæ honestatis impedimentum dissolvendo, c. Videtur cit. & c. Quoties 5. de Test. & attest. quod non solum, ut dictum, cognationis & affinitatis distantiam præ aliis nōsse, can. 1. Sc. 35. q. 6. & l. Etiam matris 16. ff. de Probat. sed incestarum nuptiarum probum in familia sua non tolerari credantur, ut advertit Engel ad hanc Rubr. n. 8.

18. Eodem modō, licet accusator sive actor in propria causa testis idoneus non sit, can. Nullus 4. q. 4. l. Nullus 10. ff. & l. Omnibus 10. C. de Testibus, eum tamen in causa matrimoniali saltem, cum quæstio est de consanguinitate vel affinitate, admitti, volunt Innocent. & Præpositus ad Rubr. Sed probabilius istius testimonio locus eō solum casu est, quō non accusator matrimonii, sed impediti solum denunciator est; hōc enim casu, si iudex ex officio inquiret, ad testificandum de impedimento admittitur,

qui id denunciavit, arg. c. In omni 4. de Test. & attest. & c. Cum in tua 27. de Sponsal. & matrim. ut in Rubric. Panormit. in fine & Canisius n. 3. advertunt.

Specialiter autem, sicut ab accusatione, sic etiam à testimonio contra matrimonium dicendo præter alios aliunde suspectos repelluntur, qui ad id faciendum vel omittendum pecuniā inducuntur, c. Sicut 29. de Test. & attest. uti etiam, qui testimonium non propria voce, sed per literas perhibent absentes, c. Nobis cit. can. Testes 3. q. 9. & l. Testium 3. §. 3. ff. de Test. & attest. quod veritatis à præsentē obtinendæ spes major sit, quàm ab absente: cuius iudex nec vocem audire, nec intueri vultum potest, Panormit. in c. De testibus 29. de Test. & attest. n. 10. & Vivianus in c. A nobis cit.

In pluribus tamen Germaniæ provinciis ex privilegio vel consuetudine Nobiles & Illustres personas ad testimonium dicendum non personaliter comparere, sed scriptas & obsignatas depositiones ab iis transmitti & admitti consuevisse, Testis est Gaill. Lib. 1. observat. 101. n. 4.



TITVLVS XIX.

De Divortiis.

Ipsas nunc causas aggredimur, ex quibus Matrimoniales accusationes aliquando instituuntur: & ad conjugii legitime initi, Rati, Consumatque dissolutionem quoad ipsum vinculum vel, isto remanente,

quoad thorum & cohabitationem pervenitur.

ARTICVLVS I.
De Matrimonii Infobilitate.

SUMMA-